



Per.
Lat
020

LATIN IFJÚSÁGI FOLYÓIRAT. LATEINISCHE JUGENDZEITSCHRIFT. REVUE LATINE DE LA JEUNESSE.

Administrator, ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsag-utca 5. (telephon: 422-2-15).

Moderator, ad quem manuscripta mittantur: Ios. WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-6-34).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1935-36. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyrus aerarii comparsorum postalis in Hungaria: 57.292, in Austria: A-37.880. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

Franciscus Liszt.

Franciscus Liszt, celeberrimus ille auctor operum musicorum, famā nominis ubique terrarum notissimus XI. Cal. Nov. a. 1811. in pago Doborján in Hungaria natus est. Patrem habebat oeconomum,¹ qui apud Michaelem e principibus Eszterházy rem² rusticam² providebat. Franciscus puerulus corpore ita exiguo³ atque debili⁴ fuit, ut parentes saepe de vita eius anxii et solliciti fuerint.

Cum Franciscus sextum annum ageret, factum est, ut pater quodam vespere clavichordio⁵ cecinerit.⁵ Thema fuit concentus⁶ circa XX paginarum a Riesio in modulo⁷ molli Cis (Gallice: *do dièse mineur*) conscriptus. Puerulus dexterā patrem assedit et aures⁸ arrigens⁸ ore⁹ hiantē⁹ immobilis modos¹⁰ ex clavichordio elicitos auribus hausit. Inter epulas¹¹ vespertinas¹¹ cum summa admiratione patris totum thema sine ullo errore susurrabat.¹² Qua re ingenium naturā ad musicam pronum primum aperuit. Exinde puer patrem precibus fatigabat, ut eum musicam doceret. Cum pater filiolum rogaverat, quid¹³ hominis¹³ fieri¹³ vellet¹³, digito semper simulacrum¹⁴ Beethovenii in clavo¹⁵ parieti affixo suspensum monstrabat.

Franciscus doctā facile didicit et brevi in studiis musicis magnos fecit progressus. Aures¹⁶ pueri teretes¹⁷ atque certae memoriae fabulosa ubique summam admirationem excitarunt. Sed patri sumptus docendi omnino defuerunt. Tum Fors¹⁸ Fortuna¹⁸ ei auxilio venit. Musicus¹⁹ et criticus¹⁹ quidam caecus nomine Braun ad publicam concertationem²⁰ symphonicam²⁰ Scarbantiae²¹ edendam Franciscum Liszt invitavit. Puer novem annos natus concentum a Riesio in modulo duro Es (Gallice: *mi bémol majeur*) con-

¹ gazdatiszt = Verwalter = régisseur ² gazdaság = Landwirtschaft = domaine ³ vézna = schwächlich = chétif ⁴ erőtlen = schwächlich = infirme ⁵ zongorázik = Klavier spielen = jouer du piano ⁶ concert = Konzert = concerto ⁷ hangnem = Tonart = armature ⁸ fülét hegyezni = die Ohren spitzen = dresser les oreilles ⁹ tátott szájjal = mit offenem Munde = bouche béante ¹⁰ dallam = Melodie = air ¹¹ vacsora = Abendessen = dîner ¹² dúdolgat = summen = fredonner ¹³ mi akar lenni? = was will er werden? = ce qu'il voudrait devenir ¹⁴ kép = Bild = portrait ¹⁵ szeg = Nagel = clou ¹⁶ hallás = Gehör = ouïe ¹⁷ finom = fein = fin ¹⁸ szerencsés véletlen = der glückliche Zufall = hasard ¹⁹ zenekritikus = Musikkritiker = critique musical ²⁰ zenei (szimfónikus) hangverseny = ein symphonisches Konzert = concert symphonique ²¹ Sopron = Stadt Sopron = ville à l'Ouest de la Hongrie

scriptum clavichordio cecinit, cui symphoniaci²² aderant.²² Partes²³ omnes sibi impositas optime explevit. Mense interiecto iam suo²⁴ periculo²⁴ Posenii in palatio principis Eszterházy coram primis urbis et magnatibus concertum habebat. Auditores cuncti cantu clavichordii delectabantur. Tum pater prospero filii successu²⁵ in spem adductus cuidam magnati suas facultates²⁶ fortunasque²⁶ aperuit. Et stante pede quinque magnates, totidem Maecenates (nominatim Amade, Apponyi, Eszterházy, Szapáry et Vizay) annum beneficium (nunc temporis sti-

1822. Vindobonae in conventum³⁵ frequentissimum³⁵ prodiit.³⁶ Consensu atque iudicio omnium probatus miris laudibus celebrabatur.³⁷ Sed aummam gloriam consecutus est, cum Id. Apr. a. 1823. Beethoven quattuor milibus auditoribus praesentibus fronti eius osculum imprimeret.

Liszt Vindobonā Lutetiam Parisiorum transmigraturus iter per Germaniam fecit. Quod iter unus et continuus triumphus erat. Omnes critici unanimiter³⁸ alterum Mozartum extitisse iudicarunt. Parisiis Ferdinando Paër usus est magistro, qui in operibus componendis perfectus et absolutus atque contrapuncti peritissimus fuit. «Le petit Litz» — uti Parisiani Franciscum vocabant — ubique admirationem movit et brevi in deliciis fuit summoque in honore vigeat. In ore et sermone erat omnium; imagines eius in librariis³⁹ aliisque tabernis prostabant; multa salse dicta de eo eiusque arte in variis circulis circumferebantur. Parisiis Londinium quoque transiit, ubi simili cum applausu exceptus est. Rex ipse Georgius IV. in regis palatio, Windsorio eum clavichordio canentem cum audiret, se in vita sua nullā un-



Kriehuber. Berlioz. Czerny. Liszt. Ernst.
Lithographia Kriehuberi.

pendium dixeris) sescentorum florenorum²⁷ per sex annos Francisco se daturos esse dixerunt. Exinde Noster omnis curae expers totum se studiis musicis tradidit.

Adamus Liszt a. 1820. una cum familia Vindobonam migravit. Vicani²⁸ faustis²⁹ ominibus²⁹ usque ad fines pagi persecuti³⁰ Franciscum in Serico³¹ carpento³¹ vitreis fenestris, rediturum divinarunt.³² Pater re deliberatā Carolum Czerny, discipulum et interpretem probatum³³ Ludovici Beethoven filio magistrum assumpsit. Theoriam musicam Antonius Salieri puerum docebat. Uterque Franciscum in deliciis³⁴ habebant.³⁴ Franciscus, qui interim circulos illustrium atque eruditorum hominum frequentabat multosque triumphos reportaverat, sex menses et annum a magistris instructus Cal. Dec. a.

quam voluptate tantā affectum esse affirmabat.

²² zenekari kísérettel = mit Orchesterbegleitung = avec accompagnement à grand orchestre ²³ szerep = Rolle = rôle ²⁴ önállóan = auf eigenes Risiko = à son propre compte ²⁵ siker = Erfolg = succès ²⁶ anyagi helyzet = pecuniäre Lage = situation pécuniaire ²⁷ forint = Gulden = florin ²⁸ a falu lakószai = Dorfbewohner = les habitants du village ²⁹ szerencsekívánatok közt = mit Beglückwünschungen = félicitations ³⁰ kikísér = begleiten = faire escorte ³¹ selyemfüggönyös hintó = Karosse mit seidenen Vorhängen = carrosse à vitrage de soie ³² jósol = prophezeien = prédire ³³ bevált = bewährt = excellent, éprouvé ³⁴ örömet leli vkiben = an jmd seine Freude haben = affectionner ³⁵ igen népes gyülekezet = eine stark besuchte Gesellschaft = devant un nombreux auditoire ³⁶ nyilvánosan fölép = öffentlich auftreten = débiter ³⁷ dicsőít = verherrlichen = glorifier ³⁸ egyértelműen = einstimmig = à l'unanimité ³⁹ könyvesbolt = Buchhandlung = librairie

Interim Franciscus adolevit et animo commutatus est. Tristis et maestitiae⁴⁰ acclinis⁴⁰ fit. Multa secum⁴¹ agitat⁴¹ et in somniis⁴² haeret.⁴² Religiose educatus imprimis libris religiosis se⁴³ involvit,⁴³ sacerdos fieri vult. Tum necopinato gravi dolore ictus est: pater decessit.⁴⁴ (a. 1827.) Ideo matrem Parisios vocavit et ut se sustentaret,⁴⁵ musicae docendae operam dedit.

Cognitiones⁴⁶ Lisztii musicas valde commovit et immutavit Nicolaus Paganini, vir ille aspectu⁴⁷ daemoniaco⁴⁷, qui a. 1831. in oedeo⁴⁸ Parisiano primum prodiit. Quem cum violina canentem audiret, sensit, quantam vim absoluta⁴⁹ instrumenti musici peritia haberet. Exinde summas vires contendit, ut eandem virtutem artis assequeretur, at non propter artificium⁵⁰ per⁵¹ se,⁵¹ sed ut hac arte omnigenos⁵² animi sensus intimos exprimeret. Praeterea XXIV Capricci Paganinianos (compositiones ad libitum), quin immo symphoniam Hectoris Berlioz ad clavichordium aptavit. Non tantum notas musicas serviliter transponit⁵³ (ut tunc mos erat), sed potius conservando vim et effectus coloremque instrumentorum alienum opus cum omnibus proprietatibus transfert, quasi ex principali opere clavichordio artificiose novum creet. Qua ratione novam viam ingressus postea multa huiusmodi opera praeclara condidit.⁵⁴

Eodem tempore Lisztio et cum Chopin usus⁵⁵ domesticus⁵⁵ et consuetudo⁵⁵ erat, qui nimias eius in musica libidines⁵⁶ temperabat. Musica Lisztia exinde Chopinianā venustate ac mollitie lyricā et colore poetico tincta est.


Anno 1835. Parisios reliquit. Subsequentibus annis in Helvetia, mox in Italia vitam agebat. Venetii a. 1838. in commentariis⁵⁷ diurnis⁵⁷ legit Danuvium Pestum inundasse.⁵⁸ Trepido⁵⁹ nuntio⁵⁹ ex somniis poeticis excitatur. Amor patriae XVIII annis ante relictas revixit. «O patria longinqua⁶⁰ — sic scribit — quiritatus⁶¹ tuus me revocat ad te et nunc desideris⁶² tuis ictus⁶² caput erubescens demitto, quod tam diu tui oblitus fuerim». Sine mora Vindobonam profectus ex reditu⁶³ concertuum ibidem editorum 25 milia florenorum (circa 80.000 P) ad inundatos adiuvandos Pestum misit. Ipse praesens⁶⁴ tantum subsequenti anno Pestum adiit. Leoni e comitibus Festetics, cum eum invitaret, inter alia haec scripsit: «Quanta gaudia percipiam et quantā voluptate fruar. si sanctitatem soli patrii

iterum attigero!... Caritas patriae animo infixata haeret; sensus animi, quos, pro dolor, in vita mea hucusque patriae vix indicaverim,⁶⁵ immutabiles in pectore vivunt et candent.»⁶⁶

IX. Cal. Ian. a. 1839. Pestum advenit et tota urbs sollemni pompa cum ostentatione et specie quadam triumphali eum in palatium Leonis Festetics prosecuti sunt. Nec quisquam principum unquam tam fanatico⁶⁷ exceptus est. Inter inauditas festivitates gladio⁶⁸ honorario⁶⁸ gemmis⁶⁹ distincto⁶⁹ donatum ex theatro agmen 20 milium hominum faces ardentes in manibus tenentes domum comitabantur. Postridie etiam civitate⁷⁰ honoris⁷⁰ causa⁷⁰ donatus est. Pesto relicto patriam⁷¹ quoque repetiit, ubi primum templum, dein domum natalem visitavit. Incolis stipem⁷² dedit, ut organum templo vicano emerent.

Subsequentibus annis (1839—1847) totam Europam circumibat. Interim (1842) auctore archiducissa⁷³ Maria Paulowna aulicus⁷⁴ magister symphonicorum⁷⁴ dictus est Vinariae, ubi annis 1848—1861 assidue habitabat. Quo tempore Vinaria artis musicae totius Europae sedes fuit.

⁴⁰ mélabúra hajló = zur Schwermut geneigt = enclin à la mélancolie ⁴¹ töpreng = grübeln = se livrer à des méditations ⁴² álmodozik = träumen, phantasieren = tomber dans des rêveries ⁴³ elmélyedni = sich vertiefen in = se plonger ⁴⁴ meghal = sterben = mourir ⁴⁵ magát fönn tartani = sich erhalten = gagner sa vie ⁴⁶ fölfogás = Auffassung = conception ⁴⁷ ördögi tekintet = teuflischer Blick = air démoniaque ⁴⁸ dalszínház = Opernhaus = l'Opéra ⁴⁹ tökéletes = vollkommen = parfait ⁵⁰ technikai készség = technische Fertigkeit = habileté technique ⁵¹ magában véve = an und für sich = pour elle-même ⁵² mindenféle = allerlei = toute sorte de ⁵³ áttesz = transponieren = transposer ⁵⁴ ír = verfassen = composer ⁵⁵ mindennapi érintkezés = geselliger Verkehr = entretien quotidien ⁵⁶ önkényeskedés = Willkürlichkeiten = hardiesses ⁵⁷ újság = Zeitung = journal ⁵⁸ eláraszt = überschwemmen = inonder ⁵⁹ rossz hír = Unglückspost = nouvelle affreuse ⁶⁰ messzefekvő = fern, weit entfernt = lointain ⁶¹ segélykiáltás = Hilferuf = cri de détresse ⁶² áthatva utánad való vágyakozástól = tief durchdrungen von Sehnsuchtsschmerzen nach dir = atteint par le mal du pays ⁶³ jövedelem = die Einkünfte = revenu ⁶⁴ személyesen = persönlich = personnellement ⁶⁵ elárul = (kimutat) = offenbaren (zeigen) = prouver, manifester ⁶⁶ izzik = glühen = flamboyer ⁶⁷ rajongva = schwärmerisch = avec autant d'enthousiasme (que lui) ⁶⁸ díszkard = Ehrensäbel = sabre d'honneur ⁶⁹ drágakövekkel kirakott = mit Edelsteinen besetzt = orné de pierres ⁷⁰ díszpolgárság = Ehrenbürgerrecht = titre de citoyen d'honneur ⁷¹ szülőhely = Geburtsort = lieu natal ⁷² pénzadomány = Spende = don, offrande ⁷³ főhercegnő = Erzherzogin = archiduchesse ⁷⁴ udvari karmester = Hof-Kapellmeister = chef de musique de la cour



Statua Lisztii super portam maximam academiae musicae Budapestinensis.

Forsitan requiras, quomodo Liszt clavichordio homines tam fascinaverit,⁷⁵ ut vera Lisztomania capti fuerint. Liszt scilicet non fuit imitator artificio perfectus — ut consuetudo loquitur: *virtuosus* — sed cum alienum opus auditoribus iam notum clavichordio cecinit, ex tactis instrumenti lingulis⁷⁶ eburneis penitus novam compositionem enasci crederes. Sensibus animi intimis instrumento expressis effecit, ut auditores eisdem perfusi captique eadem, quae artifex ipse senserat, sentirent. Qua ratione cum summum gloriae fastigium attingeret, artificio huic effectivo⁷⁷ valedixit, ut viam componendi ingrederetur.

Liszt a. 1861. ob indignas fallacias⁷⁸ Vinariā relictā Romam migravit. Ut totum se operibus musicis condendis traderet, in claustrum Oratorianorum se recepit. Dum Romae moratur, etiam Sua Sanctitas Pius IX. eum visitabat. (1863.) Aestate autem anni 1864. in pago Castelgandolfo in domicilio aestivo papali Sanctissimo Patri saepius clavichordio canebat.

Liszt reliquum vitae tempus (inter a. 1869—1886) per urbes Romam, Budapestum et Viniariam dispersit. Anno 1886. Barūthi decessit.

Liszt in re musica novam iniit viam, refor-

mator fuit oratorii et musicae ecclesiasticae, in clavichordio auctor exstitit artis atque artificio moderni, novas formas et harmonias invenit. Interpres fuit divino spiritu inflatus antiquorum auctorum musicorum et propugnator⁷⁹ innovatorum⁸⁰ musicarum saeculi XIX. Geniorum Wagnerii et Berlioz.

Annus ab eius morte quinquagesimus ubique gentium sollemniter celebratur, sed maxime in Hungaria, ubi Academia Artis Musicae de primo praeside Francisco Liszt denominata famam et glo-

riam viri immortalem urbi et orbi nuntiare non desinit.

Aem. Láng.

⁷⁵ megbabonáz = behexen = fasciner ⁷⁶ billentyű = Taste = touche ⁷⁷ hatáson alapuló = auf der Wirkung beruhend = (art) riche d'effet ⁷⁸ cselszövés = Intrigue = intrigue ⁷⁹ előharcos = Vorkämpfer = champion ⁸⁰ újítás = Reform = innovation.

Ad Franciscum Lisztium.

Hungarice scripsit Michael Vörösmarty: Latine reddidit strophas sex (1., 7., 8., 9., 11., 14. sive ultimam) Ios. Irsik.

*Chordicen¹ clarissime per orbem,
Fide noster consanguinee!
Dic, habesne chordam tremefortem²
Nervis debilique patriae? ...
Utrum habes sonos cor excitantes?
An sonos maerorem mitigantes?*

*Psalle³ nobis chordarum magister!
Et, si psallis de praeteritis,
Clavichordii⁴ tui sonis fer
Tempestates cum tonitruis,
Undis ut super rapsodiarum
Carmina exsultent victoriarum!*

¹ zongoraművész = Klavierkünstler = virtuose du piano ² velőtrázó = nervenerschütternd = déchirant, poignant ³ zeng = (Clavier) spielen = jouer ⁴ zongora = Klavier = piano

*Psalle nobis, ut et in sepulchris
Commoveri velint atavi,
Atque eorum de profundis umbris
In nepotes surgant animi:
Patriae ferant feliciores
Sortes, maledicta in proditores!*

*At, si temporum obruit caligo,⁵
Maesta rica⁶ in chordis vibretet:
Redde tibiae sonos zephyro
Flatos, vel frondis sonos libet,
Quorum suaviter lenes susurri
Luctum congemiscant fati duri!*

*Si autem amores patriae excitaris,
Qui in sinu fovent praesentia,
Qui faventes rebus praeperactis
Procreent futura grandia :⁷
Psalle tum tua potente chorda,
Intima ut soni penetrent corda!*

*Sique senseris, chordis sonoris⁸
Excitari hancce patriam,
Hancque gentem vocibus canoris⁹
Fortem prosequi symphoniam:
Adsta¹⁰ nobis: gratias agemus,
Arpadi quod animos habemus.*

⁵ homály = Finsternis = ténèbres ; troubles ⁶ fátyol
= Schleier = le voile ⁷ nagyszerű = grossartig = sublime
⁸ zengő = schallend = sonore ⁹ dallos = hallend =
mélodieux ¹⁰ mellé állani = beistehen = aider

Salse dicta Francisci Liszt.

1. Francofurti argentarius¹ Anselmus Rotschild Franciscō Liszt non interrogatō in charta ad cenam invitanti inscribi iusserat: «Franciscus Liszt clavichordio canet».² Quod artifex noster, qui cenae intererat, non cogitans, cum ab hēro³ pecuniā superbo, ut clavichordio caneret, rogaretur, respondit: «Neque mercede, neque sine illa». Rotschild interrogavit eum: «Quare igitur multitudini auditorum⁴ mercede acceptā canitis?» «Domine, hoc est longe aliud» — respondit Liszt. — En Esterházy princeps⁵ in latifundio suo hoves, vaccas, vitulos, oves, sues vendit, at Vos, si bubulam assam⁶ vel lumbum vitulinum⁷ apud eum vobis accurari iuberetis,⁸ num acciperetis? Sic est mihi cum

eis, qui me audiunt; eis quidem cano mercede, Vobis autem nullo⁹ pacto»⁹.

2. Repulsa, quam ab artifice nostro statim post cenam ad clavichordium adducto alius quidam pecuniā elatus¹⁰ tulit, in proverbium¹¹ vēnit.¹¹ Franciscus Liszt haud libenter hero roganti cēdens ad clavichordium assēdit. Ungue igitur pollicis linguas instrumenti velocissime et sonore percurrens, quod musici «Glissando» vocant: «Pretium cenae — inquit — solutum est». Et abiit.

3. Franciscum Liszt superbiorum puniendorum peritissimum esse dives quaedam domina Parisiana quoque experta est. Quae enim a Magistro, ut in cena sua clavichordio caneret, petivit rogavitque simul, ut se per litteras de summa honorarii, quam posceret, certiorer faceret. Liszt aliquid litterarum¹² ad eam dedit exponens se quinque milia florenorum petere. Litteris eius nihil est responsum. At paulo post Artifex noster in collectione litterarum autographarum¹³ dominae nomine suo conspecto: «Doleo, Domina uxorcomitis,¹⁴ — inquit subridens — quod mihi non dixistis Vos a me litteras autographas exoptare. Cui enim rogationi nullo modo resistere potuissem. At has litteras famulum meum scribere iussi».

4. Franciscus Liszt, quum ab quibusdam parum peritis¹⁵ ingenii¹⁵ expertibus,¹⁵ ut de arte sua iudicaret, rogaretur, derisus¹⁶ saepe erat reprimendus. Olim dominula quaedam «Sonatam» taedii plenam¹⁷ ei clavichordio cecinit. Quā auditā: «Velitis-ne — inquit — Dominula, mihi dicere titulum operis, quod Vos cecinitis?» — «Virgo Aurelianensis¹⁸ a Bennetto scripta» — respondit dominula gaudio erubescens. «Itane vero? — ait Liszt —, quam dolendum est, quod

¹ bankár = Bankier = banquier ² zongorázik = Klavier spielen = jouer du piano ³ házigazda = Hausherr = le maître de la maison ⁴ közönség = Publikum = public ⁵ herceg = Fürst = duc ⁶ rostélyos = Rostbraten = aloyau rôti ⁷ borjú bordaszelet = Kalbskotelette = côtelette de veau ⁸ megrendel = bestellen = commander ⁹ semmi áron sem = keinesfalls = en aucun cas, jamais de la vie ¹⁰ pöffeszkedő = Geldprotz = qui si piquait de son argent ¹¹ szálló ígévé válik = es wird zum geflügelten Wort = passer en dicton ¹² pár sort küldött = sandte einige Zeilen = écrire un billet ¹³ autogrammalbum = Autographenalbum = album à autographes ¹⁴ grófnő = Frau Gräfin — comtesse ¹⁵ tehetségtelen dilettáns = talentloser Dilettant = amateur sans talent ¹⁶ gúny = Spottlust = risée ¹⁷ unalmas = langweilig = ennuyeux ¹⁸ Orleánsi = von Orléans = d'Orléans

hoc manuscriptum non eodem casu est afflictum, quo ipsa Virgo Aurelianensis!» — Illa enim a Britannis combusta est.

5. Aliā occasione de quadam nobili puella clavichordio canenti interrogatus respondit: «Haec puella religiosissima esse videtur». «Religiosissima-ne? Ex quam re hoc putatis, Magister?» — interrogatus est magna cum admiratione. «Haec enim puella ne clavichordio quidem canens obliviscitur Sacrae Scripturae doctentis: «Nesciat sinistra tua, quid dextera tua faciat!»

Ladislau Magyar Sch. P.

6. Cum Liszt aliquando in palatio Petropolitano¹⁹ clavichordio caneret, imperator potentissimus, dominus omnium Russorum (horribile dictu!) cum propinqua sua colloquebatur. Liszt indignatione aliquamdiu compressā tandem, cum alacrior atque alacrior sermo regius factus esset, repente canendi finem fecit. Obstupefactus princeps oculos ad artificem tollens, qua de causa id fecisset, interrogat. Et Liszt caput inclinans dixit: «Si principes loquuntur, servis tacendum est».

Fritjoffius Hirsch disc.¹ Monacensis.

¹⁹ Szt. Pétervár = Sankt-Petersburg = Saint-Petersbourg

Librorum recensio.

1. «Hirhedett zenésze a világnak...» Egykorú versek Liszt Ferenchez. Összegyűjtötte, bevezette és magyarázatokkal ellátta dr. Csekegy István és dr. Diósi Géza. Szeged, 1936. Juhász István kiadása. Pretium 1.20 pengoe.

Hic liber carmina de Francisco Liszt scripta continens ab auctoribus supra nominatis memoriae artificis musici clarissimi dedicatum est. Iam ante Michaellem Vörösmarty, cuius carmen lectores nostri in hoc fasciculo invenire possunt, erant, qui de Liszt carmina scriberent, quos longus poetarum ordo sequitur idem decus petentium, e. c. in Hungaria: Ioannes Garay, Col. Lisznyai, Ioannes Vajda, Geysa e comitibus Zichy, Aem. Ábrányi, extra Hungariam: M. Saphir, Franc. Schober, Ios. e baronibus Zedlitz, H. Heine, Seb. Brunner, etc. Quamquam non omnes poetae hic collecti sunt — e. c. Gallos hic liber negligit — tamen materia copiosa commentariis biographicis et adnotationibus instructa omnibus Lisztii admiratoribus cum utilissima, tum etiam iucundissima erit.


2. Liviola. I. B. *Bellissimae* fabella. Editio altera. Senis. Ex Bernardiniana officina typographica. 1934.

Auctor antiquitatis peritissimus lectoribus haud ignotus est; (vide narrationem de Vincentio Bellini pag. 57.). In fabella aetas nobis ante oculos ponitur,

in qua doctrina Christiana iam in ipsam principis domum sensim irrepebat. Auctor modeste de se canit:

«Miores maiora sonant: mihi parva locuto Sufficit in vestras saepe redire manus.»

Formarum lineamenta Franc. *Notarius*, professor idemque clarissimus pictor Senensis descripsit. Fabella ad animos commovendos apta omnibus eruditibus placebit.



Preces.

Magne, quem dicunt superesse cunctis,
Quemque clam tanto vereor timore,
Nam satis non sum validus negare
Omnipotentem,

Immemor tu non hominum malorum es.
Dant graves poenas pueri innocentes,
Qui luunt¹ patrum vitia atque culpas.
Lex tua dira est!

O seras² semen fidei in meum cor,
Cernere Ipsum des mihi Te precanti,
Ut bonum patrem videam benignum
Semper amantem...

Petrus Sárközy disc. Rákócziანი.

¹ lakol = büssen = porter la peine de... ² plántáld = sae = planter

Ultima ratio¹ regis.

Fridericus Magnus, rex Borussiae ab anno 1742. semper hanc sententiam tormentis² bellicis² inscribi iussit. A Comite³ Francisco de Nádasd anno 1757. arce Schweidnitz occupatā et multis tormentis Borussicis deprehensis quidam centurio, Hungarus hunc versiculum scripsit:

«Ultima si regum ratio sint arma, profecto Rex Friderice, minus iam rationis habes».

Thomas Bruck disc. gymn. I. P. E. A.

¹ szó = Wort = argument, raison ² ágyú = Kanone = canon ³ gróf = Graf = comte.



Bubula¹ assa¹ contra decrectationem² edendi.²

In Carcere Orientali Philadelphae, magna commotio dominabatur: 140 captivi noxii³ iam diu ne minimum quidem ciborum edere voluerunt. Rector carceris principio rem non magni momenti esse putavit, sed cum cibi in dies detrectarentur atque noxii omnibus egen-tes viribus in cellis cubarent, gravi sollicitudine commovebatur. Maximo in discrimine *Patricius Cagny*, coqus deversorii⁴ excellentissimi Philadelphae promisit rectori se intra 24 horas obstinationem noxiorum fracturum esse, praemium autem sibi 100 libras *dollar* dictas depactus est. Postridie 140 portiones bubulae Anglico more assae (vulgo: beefsteak) odore magnificentissimo carcerem complebant. Prope meridiem ante oculos admiratos invalide iacentium in patina bubula assa apparuit, suavissimis cepis⁵ pulchrisque solanis⁶ tuberosis⁶ flavis⁷ cincta. Animi labor⁸ ultro esurientium diu anceps erat: vacuus venter murmurans⁹ appetitusque odore auctus contra voluntatem resistendi certabant. Post tormenta duarum horarum doloribus Tantalii similia, auctor¹⁰ seditionis ipse primus patinam arripuit, ut cibum devoraret. Celeri¹¹ rumore totam per domum dilato exemplum ducis etiam ceteri secuti sunt. Coqus autem praemio accepto risu triumphanti rectorem laetum carceremque reliquit. *Anna Gellert* disc. Ursulani.

¹ marhasült = Rindsbraten = rôti de boeuf ² éhség-strájk = Hungerstreik = grève de faim ³ fegyenc = Stráfling = forçat ⁴ szálloda = Gasthof = hôtel ⁵ hagyma = Zwiebel = oignon ⁶ burgonya = Kartoffel = pomme de terre ⁷ aranyárga = goldgelb = jaune d'or ⁸ küzdelem = Kampf = lutte ⁹ korgó = knurrend = gronder, crier famine ¹⁰ főkolompos = Rädelsführer = principal meneur ¹¹ futótűzként = wie ein Lauffeuer = comme un feu de broussailles.

Columella: De Re Rustica.

Lib. IX. 8. (2.)

In iis autem, quae longius meare¹ videbuntur, sollertior² adhibebitur cura,² quae talis est. Arundinis internodium³ cum suis³ articulis³ exciditur, et terebratur⁴ ab latere talea,⁵ per quod foramen exiguo melle vel defruto⁶ instillato, ponitur iuxta fontem. Deinde cum ad odorem dulcis liquaminis⁷ complures apes

irrepserunt, tollitur talea, apposito foramini pollice non emittitur, nisi una, quae cum evasit, fugam suam demonstrat observanti: atque is, dum sufficit,⁸ persequitur⁹ evolantem. Cum deinde conspiciere desiit apem, tum alteram emittit: et si eandem petit caeli partem, vestigiis prioribus inhaeret.¹⁰ Si minus,¹¹ aliam atque aliam foramine adaperto patitur egredi; regionemque notat, in quam plures revolent, et eas persequitur, donec ad latebram perducatur examinis. Quod sive est additum specu, fumo elicitur, et cum erupit, aeris strepitu coercetur.¹² Nam statim sono territum vel in fructice vel in editiore silvae fronde considet, et a vestigatore praeparato vase reconditur. Sin autem sedem habet arboris cauae, et aut extat ramus, quem obtinent, aut sunt in ipsius arboris trunco, tunc si mediocritas¹³ patitur, acutissimā serrā,¹⁴ quo celerius id fiat, praeciditur primum superior pars, quae ab apibus¹⁵ vacat,¹⁵ deinde inferior, quatenus videtur inhabitari.¹⁶ Tum recisus¹⁷ utrāque parte mundo¹⁸ vestimento contegitur, quoniam hoc quoque plurimum refert,¹⁹ ac si quibus²⁰ rimis²⁰ hiat,²⁰ illitis²⁰ ad locum perfertur: relictisque parvis, ut iam dixi, foraminibus, more ceterarum alvorum collocatur. Sed indagatorem²¹ convenit matutina tempora vestigandi eligere, ut spatium diei habeat, quo exploret commeatūs apium.




¹ elszállnak = sich begeben = s'envoler ² körmönfontabb eljárás = ein sinnreicheres Verfahren = procédé plus subtil ³ egy bütykös darab = samt den Knoten ein Stück = tronçon nouveau ⁴ megfúrják = wird angebohrt = percer ⁵ pálca = Stäbchen = bâtonnet ⁶ must = Most = moût ⁷ folyadék = Flüssigkeit = le liquide ⁸ ameddig csak bírja = soweit es möglich ist = autant qu'il peut ⁹ oculis ¹⁰ megmarad = bleibt haften = rester ¹¹ más irányban repül = wenn sie anderswohin fliegt = si elle s'envole dans une autre direction ¹² együtt tartjuk = zusammenhalten = tenir ensemble ¹³ a fa törzsökének keskenysége = die Schmalheit des Stammes = la minceur du tronc ¹⁴ fűrész = Säge = scie ¹⁵ ahol méhek nincsenek = der von den Bienen frei ist = où il n'y a point d'abeilles ¹⁶ méhek vannak benne = Bienen vorhanden ¹⁷ ramus ¹⁸ tisztá = rein = propre ¹⁹ fontos = ist von Belang = il importe ²⁰ helyhelyközzel hasadt, bekenjük = an einigen Stellen von Rissen klafft, wird er verschmiert = s'il est fendu quelque part, on l'enduit et ... ²¹ nyomozó = Der Verfolger = investigateur

Saepe enim, si serius coepit eas denotare,²² etiam cum in propinquo sunt, iustis²³ operum²³ peractis²³ se recipiunt, nec remeant ad aquam : quo evenit, ut vestigator ignoret, quam longe a fonte distet examen. Sunt qui per initia veris apiastrum,²⁴ atque, ut ille vates²⁵ ait, trita melisphylla²⁶ et cerinthae²⁷ ignobile gramen, aliasque colligant similes herbas, quibus id genus animalium delectatur, et ita alvos perfricent,²⁸ ut odor et sucus vasis inhaereat : quae deinde mundata exiguo melle respergant, et per nemora non longe a fontibus disponant, eaque cum repleta sunt examinibus, domum referant. Sed hoc nisi locis quibus abundant apes, facere non expedit.²⁹ Nam saepe vel³⁰ inania vasa nacti, qui³¹ forte praetereunt, secum auferunt : neque est³² tanti³² vacua perdere complura, ut uno vel altero potiare³³ pleno. At in maiore copia, etiam si multa intercipiuntur,³⁴ plus est quod in repertis apibus acquiritur. *Car. Acs.*

(Finis.)

²² észrevenni = gewahren = observer ²³ ha rendes napi munkájukat befejezték = wenn ihr gewohntes Tageswerk vollendet ist = ayant fini leur travail habituel ²⁴ méhfű = wilde Eppich = mélitte ²⁵ Vergilius ²⁶ melissa officinalis L. ²⁷ nagy szeplén = Wachtblume = mélinet (= plante recherchée des abeilles) ²⁸ bedörzsöl = einreiben = frictionner ²⁹ célszerű = lohnt sich = c'est peu pratique ³⁰ még ha = selbst wenn = alors même que ³¹ homines ³² érdemes = ist nicht der Mühe wert = cela ne vaut pas la peine ³³ tegyen szert = zu erwischen = avoir, obtenir ³⁴ oda is vész = verloren gehen = périr.



Coloniae. *Abyssinia* a rege suo relicta a Mussolinio Duce provincia Italica declarata est, cuius Caesar imperator Victor Emanuel rex, regis autem vicarius Badoglio mareschallus erit. — In *Palaestina* Arabes immigratione Iudaeorum perpetuā exacerbati¹ detrectatione² operandi² generali praefectum regium Anglicum cogere conantur, ut immigrationem impediatur. In discordia — ne dicam in seditione — permulti iam utrimque vulnerati et mortui sunt.

In *Hispania* novus praeses *Azana* creatus est, qui praefectus³ gubernio³ priori 106 templa a communistis incensa atque alia aedificia permulta diruta esse passus erat.

In *Gallia* gubernium se abdicabit, quia factiones sinistrae, praecipue socialistae et communistae maiorem partem suffragiorum sibi comparaverunt. Praefectus gubernio *Leo Blum* fore dicitur.

In *Austria* *Starhemberg* procancellarius magistratu se abdicavit, ut copiis⁴ civilibus, quibus praefuit, dimissis civitas unum solum exercitum haberet.

Incolae Italiae quinque annis plus 400 milibus adaucti sunt. Italia igitur nunc sine militibus operariisque in *Abyssinia* collocatis 42,500.000 incolarum habet.

Turcae exemplum

[¹ elkeseredve = erbitert = exaspéré ² sztrájk = Streik = grève ³ kormányelnök = Ministerpräsident = président des ministres ⁴ csapatok = Truppen = troupes



Germanorum secuti arces⁵ ad Hellespontum⁵ sitas,⁵ quae adhuc militibus⁶ vacuefactae⁶ erant, denuo operibus et militibus muniverunt. In imagine nostra *Arx Arenosa* dicta cernitur.

Dies anniversarii. Sua Sanctitas, *Pius XI.* summus Pontifex et *Fridericus archidux*⁷ Hungariae 80 annos nati hisce diebus celebrantur. Papa toto ex orbis terrarum gratulationes accipit. Fridericus autem dominus legionis⁸ VIII. de Bela rege nominatae a Nicolao Horthy gubernatore dictus est. *Universitas* scientiarum *Graeciensis*⁹ in Austria 2½ saeculis expletis festos dies agit. Budapestini autem Ernestus *Traeger* decem annis ante a gubernatore curator¹⁰ rerum stenographicarum publicus¹⁰ dictus, cuius sine auctoritate unitas stenographica in Hungaria effici haud potuisset, a cultoribus huius artis undique salutatur. In imagine nostra ab dextra primus *Carolus Lang*, dux stenographorum Germaniae, secundus Ern. *Traeger*, quartus autem *Adalbertus Radnai*, auctor stenographiae unitae Hungaricae sedet. Iubilantibus nos quoque gratulationem habemus.

Valentinus Hóman minister cultus et instructionis publicae noster post Italiam, Austriam et Poloniam etiam cum Germanis pactionem facturum ad commercia¹¹ studiorum¹¹ mutuorum¹¹ firmanda Berolinum profectus est, ubi ab universitate doctor honoris causa lectus est.

Mercatus¹² **vernus**¹² internationalis Budapestinensis singulis annis magis magisque frequens fit. Hoc anno plus 800,000 spectantium ex 44 nationibus dinumerati sunt.

In Japonia cum in sollemnibus scholae oppidi Hamamatsu discipuli parentesque placentis¹³ ex oryza¹³ coctis¹³ fruerebantur, permulti gravi morbo afflicti, quinquaginta autem mortui sunt. Quidam famulus placentas ulciscendi causā veneno¹⁴ imbuisse¹⁴ dicitur.



In Rumania plus statuarum diruuntur, quam ponuntur. Novissime non contenti ruinā tot monumentorum ab Hungaris collocatorum etiam statuas Sancti Stephani et Sancti Ladislai regum Hungariae mutilaverunt. Quotopere Rumeni Hungaros oderint, manifestum fit ex declaratione Alexandri *Vajda*, prioris praesidis gubernii, qui nuper in urbe Jassy narravit se ante bellum mundanum sodalem fuisse societatis clandestinae¹⁵ Rumanorum Vindobonensis, qui se obligavissent, ut qui sorte lectus designatus esset, praesidem gubernii Hungarici sine mora interficeret.

Tabulae mortuorum. Austriaci lugent obitum Mariannae *Hainisch* matronae 97 annorum, cuius filius praeses Austriae fuit. In Graecia adversarios magnos: Condylim et Venizelum defunctos secutus nunc etiam *Tsaldaris* in regnum quietis aeternae profectus est. *Osvaldus Spengler* professor et philosophus Germanicus, cuius fama, cum libros de «Interitu Occidentis» scripserat, per orbem terrarum brevi divulgabatur, nunc etiam ipse interiit.

⁵ Dardanellák = die Dardanellen = les Dardanelles
⁶ katonamentes = entmilitarisiert = démilitarisé ⁷ főherceg = Erzherzog = archiduc ⁸ ezred = Regiment = régiment ⁹ gráci = von Graz = de Gratz ¹⁰ kormánybiztos = Regierungskommissär = commissaire du gouvernement ¹¹ kulturális együttműködés = kulturelles Zusammenwirken = coopération intellectuelle ¹² tavaszi vásár = Frühlingsmesse — foire de printemps ¹³ rizslepény = Reiskuchen = gâteau de riz ¹⁴ megmérgez = vergiften = empoisonner ¹⁵ titkos = geheim = secret.

Commercium litterarum.

Illustrissime Moderator!

Quod Franciscus Herczeg de diurnariis scripsit in ephemeride Idibus Aprilibus^a 1936, mihi maxime placuit, sed magnus mihi dolor fuit, quod in valde decora Hungaria legendae finis notus non esset. Amo enim omnes homines bonae voluntatis, et itaque etiam illustrissimos incolas Hungaricos.

Quam ob rem liceat mihi finem legendae in pulchra ephemeride vestra narrare (non facile est linguam Latinam scribere, bone moderator; aetas mea non maior est, quam sedecim annorum). Spero hoc modo amicitiam inter incolas Hungaricos et amatam meam patriam auctum iri, ut etiam inter gentes fraternitas mundi augeatur.

Salutem plurimam dicit

t. t.

Thea van Oosten.

discipula gymnasii Harlemensis,
«Sancta Maria» in Batavia.

Legenda de diurnariis continuata.

Cum diurnarius bene meritus de Deo et hominibus circulum annorum perfecisset, et ex hoc saeculo transisset, et «stoicum in modum» pontem suspiriorum¹ transgressus esset, in inania regna vitae aeternae delatus, portam coeli videlicet petivit. Ascendit illam altissimam scalam graduum 999 et portam pulsavit.² Petrus aperuit et: «Quis es?» interrogavit. Ille dixit, quis esset.



Mercurius mortuos ad Charontem ducit.

«Nescio te; quid fecisti in vita terrena?»
«Diurnarius eram.»

Petrus «Aha» inquit. Diurnarius eras. Hem, ecce, multa quidem in caelo ignoscimus; multa quidem condonamus.³ Sed sit modus in rebus! Tu omnino non vixisti; tantum spe-

culum fuisti; itaque coelum diurnario non patet». Et multo cum stridore cardinum portam clausit.

Diurnarius, per longam vitam nihil admirari adsuetus, ne hanc repulsam⁴ quidem graviter tulit, sed descendit 999 gradus et similiter descendit illam alteram scalam 999 graduum, dum ad portam infernorum pervenit. «Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo», cogitavit.


Pulsavit. Charon ille aperuit, et prior adgreditur⁵ dictis⁵ et increpat ultro: «Quis es? quaesivit. Ille dixit, quis esset. «Nescio te. Quid fecisti in vita terrena?»

«Diurnarius eram» tremens dixit «et ut me accipias, rogo.»

«Umbrarum hic locus est. Licet multi intrent, hominibus huius generis porta non patet. Speculum enim hominum fuisti, omnes tui lectores etiam hic te oderunt, itaque ibi vivere non potes.»

Ergo etiam in infernis repulsam accepit! Non diu tamen diurnarius in dubio erat: omnia inter coelum et inferos his locis spectata litteris mandavit. Diurnarius etiam hic factus est et ephemeridem edidit. Octo diebus post iam tabellam⁶ diurnariorum possidebat, quae ei liberum aditum in coelum dabat et alteram tabulam diurnariorum, quae ei liberum aditum etiam in Tartarum dabat!

¹ sóhaj = Seufzer = soupir ² kopog = klopfen = frapper ³ megbocsát = vergeben = pardonner ⁴ visszautasítás = Zurückweisung = refus ⁵ megszólít = anreden = aborder ⁶ újságírói igazolvány = Presse-Karte = permis de journaliste.



Numerus iocosus.

Quamquam mathematica scientiarum fortasse maxime seria¹ est, tamen operationes mathematicae nonnunquam quasi iocari videntur. Professor mathematicus Graecus, nomine Zervos numerum iocosum invenit, qui bis, ter, quater, quinques, sexies multiplicatus


¹ komoly = ernst = sérieux

non notas numericas, tantummodo ordinem notarum transmutat, sicut tabula docet:

$$\begin{aligned} 142857 \times 1 &= 142857 \\ 142857 \times 3 &= 428571 \\ 142857 \times 2 &= 285714 \\ 142857 \times 6 &= 857142 \\ 142857 \times 4 &= 571428 \\ 142857 \times 5 &= 714285. \end{aligned}$$

Constantia tamen numeri multiplicati de hinc finem habet, nam $142.857 \times 7 = 999.999$! Nonne hoc factum² inopinatum atque admirabile est?

² szorzat = das Produkt = ie produit



Cucurbita¹ magna et bos magnus.

Aliquando in vico homo pauperrimus et divitissimus habitabant. Pauper, qui multos filios habebat, nesciebat, quid faceret, ut eos alere posset. Olim hoc excogitabat: «Evado Budam ad Mathiam regem, mecum ferens maximam pulcherrimamque cucurbitam, quam hortus meus fert».

Rex libenter accepit donum hominis, quem scivit pauperem honestumque esse, quare donat ei nummos aureos ducentos. Ille magno cum gaudio domum redit narrans cunctis clementiam regis et statim fundum² pecuniā emit.

Homo dives invidens fortunae eius ita secum cogitabat: «Si rex ei ducentos nummos aureos pro cucurbita donavit, quanto plus donabit mihi, si boves quattuor pulcherrimos ad eum egerim! Certe³ saccum auri plenum praebebit mihi».

Itaque ad regem egit boves et tradidit ei. Rex proferri cucurbitam iussit, quam pauper ei dederat, et interrogat: «Vidisti-ne iam tam pulchram cucurbitam?» — «Nunquam, generosissime rex», respondit dives. «Quia talem non habes, accipe et fer domum. Donum pretiosius

dare tibi non possum.» Sic homo spe⁴ destitutus⁴ cum cucurbita domum rediit.

Eug. Fenyőházi disc. gymn. Univ.

¹ tök = Kürbis = courge ² telek = Grundstück = fonds ³ legalább = wenigstens = tout au moins ⁴ csalódottan = mit langer Nase = déçu.



Olympiis Berolinensibus appropinquantibus omnes athletae aliique corpus¹ exercentes¹ ad certamina se parant. Quamquam in Gallia sunt,




qui Russiae Sovieticae faventes cives suos prohibere velint, ne Berolinum eant, tamen multo maxima pars hominum Olympia super nationes et factiones esse intelligit. Imago nostra ad oculos demonstrat, qua lampadephor² facem Olympicam Berolinum portaturi sint. De certaminibus mense Septembri accurate relaturi sumus.

¹ sportolók = Spört treiben = sportsman ² fáklya-futó = Fackelläufer = porteur de torche

Certamen remigum academicum in Anglia hoc anno iam 88. fuisse nuntiatur. Cantabrigienses³ nunc 48. victoriam reportaverunt ab Oxoniensibus,⁴ quos octoviri victores post certamen atrox et anceps demum ante ipsam metam $4\frac{1}{2}$ longitudinibus reliquerunt.

³ Cambridge ⁴ Oxford.



Fuga mea ex Transsilvania. (7)

Historia vera. Commentarios *Victoris Maderspach* Latine libere reddidit *I. Guelmino*.

Iam-iam captum animus praesens liberavit.

Non procul in horto quodam deposita veste caementarii¹ cultum¹ indui¹. Excedenti ubi esset caupona illa, cantus hominum instrumentorumque breviter prodidit. Ingressus homines cantantes vociferantesque² circum lagenas³ aspexi. In aura foetida fumus lente tollebat gyros⁴ varians⁴. Supra capita in pariete inscriptum litteris grandibus:

Hic nemini creditur,⁵

Ergo statim solvitur,

Aliter eiicitur!!

Admonitio vere efficax.⁶ Vinum⁷ ex frumento⁷ coctum⁷ mihi apponi iussi et tam clare admonitus statim solvi. Caupo homo erat perpasto⁸ corpore et mobilis,⁹ quasi semper quaereret aliquid. Avaritia in oculis eius latebat. Ab illo inter solvendum facultatem¹⁰ loquendi cum quaesivissem, «Paulo post in illo cubiculo te maneo», respondit. Illic dixi me caementarium esse et eo die audivisse fratrem in vico Bánlak (a Servianis obsessio) mortuum esse, et quoniam mihi prorsus deesset tempus, ut magistratum a se syngraphum¹¹ meum visum¹¹ esse scribere¹¹ iuberem¹¹, rogavi, ut daret aliquem, qui me traduceret ne, si morarer, perones¹² novi fratris et lintea¹³ abriperentur.

«Si solves — respondit ille laudabili brevitate, — decem denarios. Etiam ego volo vivere, amice.»

Et ego, dixi mihi ipse intus. Quare licitari¹⁴ coepi pretium, nam si statim illi decem denarios solvissem, me non caementarium esse facile suspicari potuisset. Denique septem denariis solutis caupo exiit, ut secum adduceret hominem, quocum postquam longe egi, denique aegre pacto convēnit, ut quinquaginta denarios statim et quinquaginta ultra fines solvam.

Per iugera trifolii¹⁵ zaeaque,¹⁶ per segetes tendimus recta ad vicum versus et interdum audio ductorem, quem habitus¹⁷ actorem esse indicavit, indignari quod, perones sibi novore largissimo pessum darentur. Ego equidem tacebam et nihil respondi. Tum dicit, si capti fuerimus a custodibus nocturnis Valachis, super verbera minimo calculo¹⁸ ducentos denarios mihi solvendo fore, ut me fines transgredi sinant; utilius igitur esse mihi sine verberibus ducentos denarios solvere et iustum esse se verbera mihi arcentem¹⁹, istos denarios accipere. «Philosophus perfectus es» — excidit sine voluntate ex ore meo.

«Quid dixisti?» arripuit ille verbum, sed uno et eodem temporis puncto²⁰ iam se in terram coniecit, et cum illo et ego. Quae sit autem causa facti, ut melius videam, promo ocularium²¹ meum. Custodes nocturni Valachi per viam meant. Capita eorum apparent et demerguntur supra infraque segetem. Latratus prodidit etiam canem esse cum iis.

«Vidistine? — Mentitusne sum? — interrogat ductor meus, cum periculum iam evitatum erat. Quo magis nunc debes ducentos solvere, quia tu non es caementarius. Caementarii non utuntur oculario, neque vocabulis doctis. Dominus es, qui fortunam adversam fugit et si caementarium centum, talem virum ducentos denarios solvere rectum censeo. Hoc certe debetur²² mihi. An non vides me pedibus nudis facere iter? Ecce perones, accipe et digitis tempta,²³ quomodo pessumdati sint!» Et tradidit mihi perones, quibus auxiliantibus alterum mihi centum denarios extorquere posset. Interea ad canalem quendam perventum est,

¹ kőmivesnek öltözöm át = sich als Maurer verkleiden = mettre un vêtement de maçon ² hangoskodni = schreien = pousser de grands cris ³ palack = Flasche = bouteille ⁴ köröket formál = Kreise machen = en volutes ⁵ hitelez = auf Kredit geben = faire un crédit à qn ⁶ hatályos = wirksam = efficace ⁷ pálinka = Schnaps = eau-de-vie ⁸ jól táplált = wohl genährt = grassouillet ⁹ fürge = flink = alerte ¹⁰ lehetőség = Gelegenheit = moyen ¹¹ útlevelét láttamoztatja = den Reisepass vidimieren lassen = faire viser son passeport ¹² csizma = Stiefel = botte ¹³ fehérneműek = Wäsche = linge ¹⁴ alkudozni = handeln um = marchander ¹⁵ lóhere = Klee = trèfle ¹⁶ kukorica = Mais = maïs ¹⁷ megjelenése = das Aussehen = apparence ¹⁸ legkisebb számítás szerint = wenigstens = tout au moins ¹⁹ elhárít = abwehren = parer ²⁰ pillanat = Augenblick = instant ²¹ szemüveg = Brille = lunettes ²² megillet = gebühren = être dû ²³ megtapogat = betasten = tâter

quo traiecto ecce in territorio a Servianis occupato sumus.

«Et nunc solves, domine, pecuniam meam!»

— Bene, accipies. Sed ita convenit inter nos, ut in vico Bánlak acciperes alteram partem pecuniae.

Ille autem omni modo iam nunc exprimere conatur pecuniam et ut se etiam vi uti paratum monstret, me arripit, sed pugno²⁴ ictus²⁴ reiicitur et aliquamdiu immotus in terra iacet. Mox lente erigit se et sine ullo verbo anteit me et ego cum peronibus post illum. Festinamus pervadere agros, canales, aggeres, cataractas²⁵ et in diluculo,²⁶ ubi pervenimus ad casam quandam solitariam, ductor insilit in casam et rediens cum custode Serviano: «En — inquit — vobis speculator²⁷ quidam. Retinete!»

Finis sequitur.

²⁴ ökölcspás = einen Faustschlag bekommen = coup de poing ²⁵ zsilip = Schleuse = écluse ²⁶ pirkadás = Morgendämmerung = aube ²⁷ kém = Spion = espion



Homo volucer. Post Daedalum nemo hoc cognomen meritus est. Nuperrime tamen quidam Americanus, nomine *Clem Sohn* alarum usu quamquam se levare¹ non potest, neque vult, sed periculum decidendi efficaciter minuit. Imago nostra gradus singulos devolandi oculis subiicit. Vir audax sede relictā primum in ala aëroplani stat, ut se demittat. Circiter 70 metra delapsus cruribus divaricatis² gubernaculum pedum apparat. Cum iterum fere 20 metris profundior est, primam alarum brachialium, deinde alteram quoque levat, ut celeritas lapsūs leniatur. In proximis 150 metris securitatem plenam consecutus sine umbella³ pensili³ pergit se demittere, quam non aperit, nisi cum iam terra tantum 250 metra abest. Multitudo innumerabilis saepius cum audaciam, tum etiam exercitationem viri admirata est, qui incolumis ex tanta altitudine ad terram pervenire potest.

Cumulus⁴ novus volandi. Amy Mollison

aviatrix 3 diebus et 6 horis ex Anglia ad urbem Capetown volans cumulum aviatrix Rose succenturionis 11 horis correxit.

¹ felszáll = auffliegen = s'enlever ² szétterpeszt = spreizen = écarquiller ³ ejtőernyő = Fallschirm = parachute ⁴ Rekord = record ⁵ pilótanő = Fliegerin = aviatrice.

Hypatia.

(17.)

Scripsit *Carolus Kingsley*, Hungarice reddidit *Arpadus Zsigány*. Excerptis atque in Latinum convertit: *Valentinus Fehér*.

II. Gothi vitam praefecti servant.

Quoniam Gothi paulo ante domum redierant, forte porta exterior aperta erat. Philammo quidem incurrit sub arcuatam fornitem,¹ sed ostium alterum clausum invenit. Monachi iam accurrentes et gaudio saeve concla-



mantes eum arripiebant, cum Philammo in pariete ianuam minorem conspicatus, ea refracta in stabulum delatus est ad ipsos Vulvium et Smidium, qui mulos radebant² et pascebant.³ «Ecce occurrit monachus — clamat Smidius. — Quid affers, pulchelle puer, quod tam exanimatus⁴ venis?»

¹ boltíves kapu = Schwibbogen (des Haustores) = porte cochère voûtée ² vakar = abreiben = étriller ³ abrakol = füttern = affourager ⁴ lélekszakadva = ganz ausser Atem = essoufflé

— Liberate me ab istis nebulonibus! — anhelat Philammo ostendens insequentes, qui per ostium apertum in stabulum inspiciebant.

Vulfius ingens flagellum de muro deripit et invadit in hostes et tamdiu verberavit monachos, dum omnes rudentes⁵ in plateam⁶ effugerunt. Ibi sex in ulteriore parte subsidentes expectabant, dum Philammo prodiret, ut tum eum aggressi deprimerent, ceteri recurrerunt ad sodales, qui interea praefectum circumstabant.

Curru sustento, equi turbā circa tumultuante consternati⁷ priores pedes erexerunt,⁸ milites pallidi ad praefectum se receperunt. «Si, fratres — ait Orestes satis comiter⁹ — viam mihi interclusistis, patimini currum convertere. Mittite frena equorum! Quid hoc rei est, obsecro? Quid vultis?»

— Nero alter! Nove Domitiane! — ululat vulgus. — Vexator sacerdotum Christianorum! Pereat patronus Iudaeorum et paganorum!

Milites cum viderent hostes fore superiores,¹⁰ abiectis armis fugere conabantur. Vulgus currum undique circumstans praefectum inermem saeve rudens invasit. Interea duo Gothi Philammonem laeti in tabulatum¹¹ extulerunt. At miser adolescens conficiebatur¹² curā ac sollicitudine, essetne rēverā soror ipsius Pelagia, quae propter vitam flagitiosam ab omnibus Alexandrinis contemneretur. Cogitationes eius subito clamore turbatae sunt: «Venite cito! infra pugnatur. Isti enim Graeci profligati sub nostris fenestris statim praefectum trucidabunt.»

«Quid postea? — ait Amalricus. — Merito hoc ei accidit.» — «Sed si a nobis liberatus erit, in aeternum nobis erit obnoxius.»¹³ — «Recte putas — assentitur Amalricus. — Heus pueri! Expedite vos! Nil opus est gladio, ferte modo flagella. Vulgus istud non est gladio dignum.»

Ipsa primus in stabulum incurrit et arrepto taurino flagello supra caput in aere crepitans¹⁴ rudī: «Sequimini!»

Parva manus Gothorum ingentium, in iis Philammo, in plateam evolat et caedere incipit turbam, quae foris fluctuabat. Flagellis eorum sic turba cessit, quemadmodum quisquiliae¹⁵ turbone¹⁶ averruntur. Dum monachi pavidi quiritantes¹⁷ diffugiunt, Philammo forti saltu¹⁸ in currum emicuit¹⁸ et Orestem complexus est. «Salvus es, domine — susurrat; — confide mihi!»


Paulo post itinere ad domum Pelagiae aperto

Philammo currens praefectum intulit in cavadium. «Ah, vos viri fortes — ait praefectus. — Servus sum vobis obnoxius. Vitam debeo vobis. At nunc, si conceditis, nolo vobis amplius esse molestus. Et sum paulum defessus et domi cum angore exspector.» — «At vero hinc non facile dimitteris — clamat Amalricus. — Tu nunc hopes meus es, neque unquam quisquam e domo mea hospes sobrius discessit.» — «Tam hospitalis¹⁹ es — inquit Orestes, — ut invitationem tuam repudiare non audeam.» — «Ohe, Graece! — ait tum Amalricus. — Habemus etiam monachum, quem de tuo curru deripimus.» — «Ecce adest — clamant Gothi trucem²⁰ vastumque²¹ monacum protrudentes.» — «Egregie! — inquit Amalricus. — Tradetur praefecto, qui, ut vult, eum tractabit.»

Mox Gothi cum praefecto accubuerunt.²² Philammo, quem vini taedebat et Vulfius separatim foris diu taciti sederunt. Philammo assidue id secum cogitabat fieri posse, ut soror sua esset Pelagia. O utinam sciret, quomodo ex illa domo eam liberaret! Quid, si senex Vulfius in ea re adiuveret?

Ergo veniam²³ supplicat a Vulfio petivit, ut diceret, cur sollicitus esset. Tum pudore perfuscus lente narravit, quid sibi accidisset eo ipso die post meridiem seque ex verbis Arsenii concludere suam sororem esse Pelagiam. Tandem vehementer singultans²⁴ obtestatus est Vulfium, ut sororem sibi redderet seque adiuveret, ut eam ab Amalrico divellere²⁵ posset. «Hem puer — ait Vulfius — ne fleas. Equidem lacrimas non curo muliebres, sed dolet mihi, si viros plorare video. Si iam animus tibi sedatus erit, de re loquemur: sed nunc veni pastum.²⁶ adest cena. Ego maxime esurio.» *Continuabitur.*

⁵ ordit = heulen = hurler ⁶ utca = Strasse = rue ⁷ megbokrosodva = scheu geworden = s'emballer ⁸ felágaskodik = sich bäumen = se cabrer ⁹ nyájasan = freundlich = complaisamment ¹⁰ fölülkerekedő = die Oberhand gewinnen = prendre le dessus ¹¹ emelet = Stockwerk = étage ¹² emészt = quälén = se consumer ¹³ lekötelezett = verpflichtet = obligé ¹⁴ suhogtatva = knallen = faire claquer ¹⁵ szemét = Mist = ordures, balayures ¹⁶ forgószél = Wirbelwind = tourbillon ¹⁷ sikoltozik = laut schreien = crier ¹⁸ föl-ugrik = hinaufspringen = s'élancer sur le char ¹⁹ vendégszerető = gastfreundlich = hospitalier ²⁰ dacos = trotzig = obstiné ²¹ tagbaszakadt = vierschrötig = robuste ²² asztalhoz ül = sich zu Tische legen = se mettre à table ²³ engedelem = Erlaubnis = le pardon ²⁴ zokog = schluchzen = sangloter ²⁵ elszakit = trennen = séparer de force, arracher ²⁶ enni = essen = manger.



Solutiones aenigmatum numeri VIII.

1. Ave. — 2. Trianon. — 3. Nulla dies sine linea.
 4. *Series libratae*: 1. gallina. 7. ita. 8. Bem.
 10. do. 12. ON. 16. uda. 17. est. 19. mobilis. —
Series directae: 1. gaudium. 2. at. 3. Clío. 4. i. 5. Nero.
 6. amantes. 14. a, ab. 15. A T L. 18. si.

Solutiones aenigmatum numeri IX.

I. Patria ante omnia. — II. Quod licet Iovi,
 non licet bovi. Manus manum lavat. Quod uni
 iustum, alteri aequum. — III. Hungarice: Lég-
 gömb. — Latine: Ini. — IV. 1. Ave. 2. Vir.
 3. Ero.

Aenigmata recte dissolverunt. Anna Gellért,
 Anna Mayer (*Ursulanum*); And. Klein, Ad. Bal-
 dermann (*Fayanum*); Lad. Leon, Tib. Jantsits
 (*Széchenyianum*); Jo. Wolkóber (*Madáchianum*);
 Jo. Glancz, Edm. Fellegi (*Sch. Piae*) *Budapestinenses*. —
 Francisca Solc, Elis. Fikár *Kaposvárienses*; Hel. Szabó,
 Eva Dobó *Jaurinenses*; Aranca Csató *Nagykőrösiensis*;
 Jos. Kaptay, Steph. Lúley, Lad. Javorik, Andr. Uskert
Tatani. — O. Schmied *Vindobonensis*, N. Metzger
Berolinensis, G. Dormand *Genavensis*.

**Praemium sorte Annae Gellért, Andreae Klein,
 Ladislao Leon, Annae Mayer, Franciscae Sole et
 Helenae Szabó obvenit.**

1.
 Sem
 idemsedali, idemsedali, idemsedali.

Andreas Uskert
 disc. Tatanus.

2.
 Dissolvendum ad saltum equulei.

| | | | | |
|----|----|----|-----|-----|
| bi | e | vo | sum | |
| re | vo | le | mel | bum |
| Et | ca | mi | lat | |
| | ir | se | ver | |

Jos. Klein
 disc. Debrecinensis.

3.
 Litterae, quae desunt, nomen ducis Romani
 reddunt:

— ANIS — VITARE
 — MEN — NTRO
 — ANERE — T
 — ENSUM — UM

Francisca Solc.
 disc. Kaposvárensis.

4. *Numeris.*

| | | | |
|---|----|----|---|
| 1 | 6 | 7 | 5 |
| 2 | 8 | 6 | 2 |
| 3 | 9 | 10 | 4 |
| 4 | 11 | 4 | 5 |
| 5 | 12 | 7 | 5 |

1. Quid nocti est contrarium?
2. Cui autem rei negotium?²
3. Quo modo labor fit ancillae?
4. In silvis erat olim ille.
5. Solacium est tibi...
 Si sunt adversae tuae res.


Numeros si litteris
 Recte commutaveris,
 Vocum tum initia
 Dicent domicilia.

Otto Schmied
 Vindobonensis.

² i. e. contrarium est.

**Terminus solutionum ad moderatorem mittendarum
 8. dies mensis Sept.**

Solutiones aenigmatum sumptibus comparcendi
 causā singulis in scholis a magistro collectae in
 eodem involucre epistulae ad moderatorem mitti
 possunt.



Nonnullis scholis externis rogantibus in hoc
 ultimo anni XX. fasciculo redintegramus adnotatio-
 nes Gallicas bello mundano coorto omissas, quas
 scribendas nunc Ladislaus *Balassa* suscepit. —
Amicus, Genevae. Iuventis socios habet in Batavia,
 Helvetia, Austria, Germania, Polonia, Cechoslovacia,
 etc. In Hungaria plurimos habemus lectores Buda-
 pestini (fere mille), in ceteris urbibus huius parvae
 Hungariae mutilatae plus mille. Pro tua voluntate
 studioque gratias. — *J. Irsik.* Carmen Desper. ad
 iocos mensis Aprilis augendos aptum est. — *V. Gom-
 bár.* Salse dictis morientium nunc uti non potui, sed
 autumno. Ceterum gaudens Te nobis fidum manere
 etiam dehinc spem in tuo labore pono. — *Discipulos*
 iterum atque iterum moneo, ne in carminibus com-
 ponendis vim sibi faciant. Quod poëtis relinquunt. —
I. v. d. Veer. Biographia Grotii autumno tantum
 publicabitur, quia hoc fasciculo iam sub prelum
 misso advenit. Gratias pro officio collegiali. —
E. Császár, Ferd. Láng. Talia et similia semper
 libenter accipiam. — *L. Javorik, Fr. Solc, J. Glanc.*
 Aenigmata et ioca, quae idonea sunt, tempore pro-
 hibunt. — *O. Schmied.* Carmina tua, opera sane
 venae poeticae verae, velim transmittas. — Actio
 Catholica mense Iulio peregrinatores Mariae Cellam
 ductura est. Qui participes peregrinationes esse
 volunt, adeant tractatorium centrale: Budapest,
 IV., Ferenciek-tere 7. III. lépcső. I. em. 8. —
*Omnibus lectoribus nostris iucundissimum tempus
 feriarum precamur.*

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-
 scholarium Catholicorum. — A Katholikus
 Középiskolai Tanáregyesület költségén.
 (Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)

Index operis sociorum. (Numeri pag. indicant.)

I. *Discipuli*: M. Balázs 55. St. Banó 16, 110, 128. N. Berger 74. Th. Bruck 54, 110, 150. St. Csics 32. C. Eteley 111. M. Fajcsék 19, 102. M. Farkas 94, 103. Eug. Fenyőházi 155. C. Gáldy 111. A. Gellért 64, 151. L. Gonda 141. Ae. Gurszky 73. O. Hámos 62. J. Harsányi 79, 112. D. Hernády 11. Fr. Hirsch 150. J. Horváth 48, 74, 96. St. Imre 32. L. Javorik 96, 112. M. Jóbóru 54, 94, 111, 139. A. Kajdacsy 62. J. Kaptay 94. L. Kassa 144. Eu. Keller 30, 72. A. Kertész 33, 102. L. Kiss 112. J. Klein 48, 96, 159. E. Kolma 94. V. Kósa 10, 21, 41, 48, 62, 64, 68, 74, 90, 122, 139. M. Kramer 30. Eu. Magurányi 32. Fr. Marossy 16. Th. Mattyasovszky 72. B. Medveczky 79. Fr. Miederer 16. L. Mihálcsik 72, 94, 135. An. Mihályfi 54. M. Moiret 37. Thea v. Oosten 154. E. Parlagh 37. D. Pataky 137. A. Pusztaí 91, 122. S. Rác 117. P. Resofszky 54. P. Sárközy 150. C. Schubauer 62. A. Selyesby 142. Fr. Solc 144, 159. T. Szelecsényi 118. N. Szomolányi 128. J. Takács 142. D. Tamás 48. Michael Tamedly 39. J. Törs 72. Andr. Uskert 159. R. Vajda 111. L. Wagner 111. G. Weisz 30. J. Wolkóber 128. A. Zsitvay 79, 95.

II. *Professores et alii*: Car. Ács 7, 19, 31, 39, 43, 51, 66, 81, 95, 105, 114, 132, 151. J. Bapt. Bellissima 57. Guil Boros 12, 95. Frid. Brisits 2. Adalb. Danczer 41, 73. Cuno Evetovich 24. Paulus Farkas 62, 64, 79, 96, 142, 144. Steph. Farkas 21, 120. Val. Fehér 14, 31, 45, 63, 76, 79, 91, 103, 124, 137, 157. Eug. Fray 84. Alad. Friml 4, 5. Vinc. Gombár 20, 42. Fel. Gondán 72, 142. Ios. Guelmio 3, 6, 29, 38, 55, 70, 86, 107, 118, 142, 156. Theod. Innitzer 17. Ios. Irsik 12, 22, 30, 36, 60, 75, 110, 148. Gerg. Kaul 34, 100, 116. Dion. Kövendi 7, 13, 23, 42, 69, 92, 124, 129. Aem. Láng 9, 24, 35, 49, 68, 74, 87, 98, 126, 135, 145. Georg Lurz 40. Lad. Magyar 97, 115, 149. Lud. Meskó 45. Frid. Orlovski 60. Dr. Philips (Saxo) 83, 133. Otto Schmied 131, 141, 144, 159. Alex. Simon 55. Soror Christiana 126. Mich. Tamedly 39. Ios. Wagner 1, 10, 65, 128.

Index rerum ann. XX. (1--10.)

Aenigmata: 16, 32, 47, 63, 79, 95, 111, 127, 144, 159.
Aëronautica: 13, 60, 94, 157.
Alloquia sociis et lectoribus: Ad certamen lectores invitatur. 4. Commmercium litterarum. 5, 154. Ineunte anno 1936. 65. De lingua Latina revisiventi 97. Quomodo Slovacus cum Germano confabuletur 39.
Arena Iuventutis: De vita Clementis Mikes 11. Adventus Suae Eminentiae Cardinalis Theodori Innitzer 19. De visione S. Angelae 37. Dies natalis Christi. Quam diu quis sustineat. Limus pecuniã venditur 54. Swift. Cursus certamen per manus 74. Matthias rex 117. Ultima ratio regis. Bubula assa contra decretationem edendi 150.
Auctores antiqui: Columella: De re rustica IX. 8. De comparandis apibus et quemadmodum silvestria examina capiantur. 132, 151. — Lucianus: Philopseudes 33—36. Artis magicae alumnus (Der Zauberlehrling). — Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Matthaeum. 28. Resurrectio.
Carmina: O beata mater 12. — Ad Hungaros 21. — Al. Petőfi: Sub exitu Septembris. 30. — Frutex ad tempestatem 55. — Al. Szentmiklósy: Epigrammata 36. — M. Vitkovits: Epigramma 75. — Goethe: Rosula pratensis (Eckstein) 76. — Ad Sanctum Stephanum 45. — Nox mira 54. — Patria mea 74. — Dan. Berzsenyi: Epigramma ad Napoleontem 95, Ad

Horatium (St. Tamaskó), Hiems appropinquans 110. Pars mea 118. — J. Arany: Circulus familiae 117. — Dux Eugenius (cum notis musicis) 131. — Hymnus Austriacus 141 (O. Schmied). M. Vörösmarty: Ad Franciscum Liszt 148. Preces 150.

Epistolia officialia: 16, 32, 48, 64, 80, 96, 112, 128, 144, 160

Fautores Latinitatis: Val. Hóman 3, Iul. Kornis 5, Jo. Kisparti 10, Lud. e fortissimis Bessenyei 23, Bruno Balassa 24, Eug. Pintér de Ad. Liber 73.

Geographia: 43, 105, 115.

Gymnica: 7 (Certamina gymnica gentium academica), 29, 47, 61, 76, 92 (Ae. Neidenbach diurnario respondet), 109, 123 (De primo victore cursus Marathonii), 155.

Historica: Tria saecula universitatis Hungaricae Budapestinensis 1. Petrus Pázmány 2. De ordine eremitarum S. Pauli 9. Ducentenarium gymnasii Kúnszentmiklósiensis 13. Oratio Suae Eminentiae Theodori Innitzer 17. De Mauritio e comitibus Benyovszky 20. Quomodo historia universitatis Pázmányanae vitietur (Iul. Kornis) 51, 66. Quomodo Cicero occisus fuerit (H. Eulenberg) 68, 87, 98. Eugenius princeps Sabaudiae (Otto Forst de Battaglia) 129.

Iocosa: 31, 41 (Marcus Twain), 61, 72, 94, 111, 114, 125 (Cal. Apr.), 141.

Latinitas moderna: Via ferrata (Societas Latina) 40. Gymnica (Capellanus-Lamer) 61. Deversorium commendatur (Car. Thieme) 71. Latinitas mathematica (Maria Keresztesi) 140.

Lectoribus minimis: Insignia ordinis S. Iacobi (V. Rákosi) 21. Asinus meteorologiae peritus. Pastilla prunacea 60. Centum pro uno 76. Adalbertus rex Sueciae. Victor Hugo 90. Liber omnibus corpus exercitibus 91. Somnus malus. Brassica ingens 110. Rudolphus Habsburg. Vita in seminario 122. De piscatore et de maena 134. Cucurbita et bos 155.

Libri dono accepti: 15, 26, 90 (ephemerides: 16, 78, 127).

Librorum recensio: 42, 59, 78, 101, 124, 140., 150.

Litterae et artes: Victor Hugo (Al. Galamb) 19. Lope de Vega (Al. Galamb) 33. Epistola Desiderii Kosztolányi ad Horatium 49 et responsum Horatii (Dr. Philips) 74. Daniel Berzsenyi (Car. Ács) 81. Vincentius Bellini (I. B. Bellissima) 57. De Luciano (E. Fray) 85. Franciscus Liszt (Ae. Láng) 145.

Narrationes et fabulae Romanenses: Petrus Pázmány 3. Hypatia (Kingsley-Zigány) 14, 31, 45, 63, 79, 91, 103, 124, 137, 157. — Caligula (D. Kosztolányi) 24, 35. Casus admirabilis (A. Rubino) 28. Fuga mea ex Transsilvania (V. Madersspach) 38, 55, 70, 86, 107, 118, 142, 156. De Luciani dialogo, quo Goethe in carmine «Der Zauberlehrling» usus est 84. Nidus hirsutus (R. Kipling) 100, 116. Legenda de diurnario (Fr. Herczeg et Thea v. Oosten) 120, 154. Senator et medicus (Steph. Bíró) 126, 135.

Nuntii recentissimi: 12, 27, 44, 57, 77, 89, 106, 114, 120, 139, 152.

Oblectamenta: De avibus radiophonice depulsis 12. De arte photographica 34. Tesserae postales anni 1935. selectae 53. Euwe princeps ludi latruncolorum 69. De nummo acu traiecto. De poculo patriotico 95. Negotia feminea: I. De curatione corporis hiemali. II. Minutal leporinum 102. Cur crocodili tam pigri sint 126. Numerus iocosus. 154.

Salse dicta: Professorum universitatis Budapestinensis 6. — 22, 68, 139. Francisci Liszt 149.

Sententiae: 23 (O. Prohászka), 55.